ad eorum accursum draco tam horribiliter prodiit flammantibus oculis et iracundis tortuositatibus, quod nemo huc usque sustinere potuit. Hanc fictionem sumtam puto ex carmine quodam Ovidii, in quo per omnia simile recitatur. Si de hoc loquitur, nescio.

Commune valde est apud veteres, loqui de transmutationibus hominum in saxa aut bestias aut arbores, sicut patet de Circe, malefica muliere in monte Circaeo, Campaniae, circa quem adhuc ajunt incolae rugire leones, sibilare dracones ferasque alias, quos ex hominibus incantatrix nunc fecit, de quibus Virgilius multa metra canit; et Medusae flavi et aurei crines per Minervam mutati sunt in angues pro eo, quod Neptunus cum ea concubuit in templo Minervae. Et Alexander Magnus gloriabatur se esse filium draconis, ut Fol. 88. habetur. Et filiae Antiopae mutatae in vaccas, et Jo facta fuit vacca, et Orchades mutati fuerunt in lupos. Perseus etiam cum Gorgonis caput abscissum ostendisset Acrisio, mutatus fuit Acrisius in saxum; et Cinara rex Assyriorum, dum in calamitatem sui filii inciderent, flendo eorum infortunia mutatus fuit in lapidem. Sed et sacra scriptura verissima commutatam esse in statuam salis uxorem Loth testatur, quia retrospexit, ut habetur Geneseos XIX, de quo habetur P. I. Fol. 245. Quod autem herbis aut cantato carmine in belluas et lapides homines transformentur, hoc videtur a multis concedi possibile magicis illusionibus, cum Pharaonis magos ea suis artibus fecisse credimus quae faciebat Moyses virtute divina. Sed de hac re disputare non est nostri propositi. Ad Hippocratis medici filiam redeamus, quae quare in draconem mutata fuerit, non legi, nisi dicere velimus, quod sicut pater ejus multos sanavit, sic illa sua pulchritudine multos intoxicavit, ideo propter aliquod scelus turpe a patre camerae subterraneae fuit inclusa et mortua, quam rudis vulgus suspicabatur vivam, et invenit praedictam fabulam.

Porro praeter hanc filiam aliam habuit, nomine Ageroniam, optimam medicam, quam romani veteres pontifices cultu divino venerabantur XII scil. Januarii eamque solis filiam nominabant, a qua foeminae potestatem medicandi acceperunt, et hodie passim se intromittunt de dandis medicinis mulierculae indoctae, phantasticae, superstitionibus plenae, Bozosae et Beguttae; non Hippocratis filiae, sed Biantis, qui medicus interrogatus ab Iphylo, filios non procreans, quid ad procreandúm esset, agedum, suasit

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;